

iudicia, cum dictis rationem addit. Cui subscribit Divus quoque Hierotheus, Pauli quidem auditor, Dionysii vero doctor, quando in hæc verba scribit.

“Causa omnium, cum neque pars sit, neque totum, et totum, et pars. Et universum in se comprehendens.”

Sed si hæc, divina oracula, sint suspicienda, ut sunt verissima, modus est excogitandus. Quo et ipse omnia omprehendat. Et omnia sint in ipso, et ipse sit in omnibus. Neque enim forte localiter sunt intelligenda; et tamen non localiter, non videntur posse intelligi. Si enim universum, et partes eius omnes, corpora sunt, corpora autem omnia, aut locus sunt, aut sunt in loco; necesse videtur, qui universum comprehendat, eum universo locum præbere. Et qui per omnia permeat corpora, ut in omnibus sit; omnia ei locum faciunt. Quid ergo vere, ac rite philosophanti erit dicendum? In hunc modum philosophice contemplemur. Deum, et unum, idem esse, iam diu est nobis demonstratum. Demonstratum quoque est, unum ita esse, ut sit non nisi unum, et nihil aliud quam unum, et simul esse omnia, et in eo, esse omnia. Ut hæc inconcussa maneant, dicendum, cum in ipso omnia esse dicantur, unum in ipsa non spargitur, sed unum remanens, ea omnia habet, non tamen ab eis habetur. Si ab eis non habetur, est ergo nullibi. Quoniam id, quod habet, habito esse videtur locus. At e contra, si ipse in omnibus est, erit ubique, et si ubique etiam alicubi. Pars enim hæc, totius pars est, loci. At ipse nec pars, nec totum est.

Non est ergo, alicubi. Si non alicubi, neque etiam ubique. Si neque alicubi, neque ubique, nullibi est ergo. Sed et totum est, et pars. Ut totum in alio, neque alicubi, et non alicubi, neque ubique. Si neque ubique, neque alicubi, iterum ergo nullibi est. Qua vero pars est, in toto est. Si in toto est, in alio est; si in alio, alicubi. Et si alicubi, cur non et nullibi, et etiam ubique. An vero hæc omnia, in eo vera sunt? An etiam falsa? An vero, et falsa, et vera? Ita consideremus.

Tria hæc adverbia, ubique, alicubi, nullibi, ad locum pertinent; locus ad locatum spectat. Locatum autem vel corpus est, vel in corpore. At Deus, neque corpus est, vel in corpore. Ergo non locatus, ergo non in loco, ergo nullibi. Atque ita hæc prior loci attributio, fuerit vera. Sed et erit falsa. Quod enim nullibi est, in nullo est. At ipse est in omnibus. Ergo nullibi non est. Si nullibi non est, in omnibus est, et est ubique. Verum, ergo fuerit, eum esse ubique. At et falsum fuerit, eum esse ubique, locus enim non est locatum. At ipse locus est, in ipso enim omnia sunt. Quatenus ergo verum est, eum esse ubique, verum quoque fuerit; cum esse alicubi. Quatenus vero falsum est, eum esse ubique, falsum quoque erit, eam esse alicubi.

Vel illa veriora erunt? ipsum esse incorporeum, atque ideo locari non posse. Si non locatur, locus eum non capit. Si locus eum non capit, nullus locus eum capit. Si nullus locus eum capit, non est ubique. Si non est ubique, nullibi erit. Si nullibi erit, non erit alicubi. Atque ita verum non fuerit, cum esse ubique. Rursus quid vetat, verum esse, cum esse ubique. Est enim incorporeus. Si incorporeus, etiam est immaterialis. Si immaterialis, materia ipse sua non impeditur. Si non impeditur, penetrat; si penetrat, etiam permeat. Ea nimirum, materiam habent, et sunt corpora, quorum penetrationem mutuam, natura non permittit. E contraria ratione, quæ immaterialia, et incorporea sunt, natura, in mutuam penetrationem, non impediuntur. Nullam enim habent a materiam, nullam a corpore resistantiam. Igitur incorporea, quia nullam habent mutuam resistantiam, mutuam habent sine ullo impedimento penetrationem. Neque solum mutuam, sed eam quoque in sua contraria habent, ipsa scilicet corpora. Quæ quamvis, et materiam habeant, et ab ea resistantiam seu anteresin, resistere tamen incorporeis nequeunt, ullis. Quando neque iis resistunt quin ea penitus, et usque quaque penetrent, quæ in ipsis met corporibus perpetuum habent habitaculum: qualitates nimirum omnis, generis, sapes, odores, colores, calores, frigora, humiditas, siccitas, mollities, durities, reliquæ omnes. Nec non quantitates omnes, lineæ, superficies, profunditates. Nulla enim corporis ullius est pars, quæ lineam intus, et extra non habeat, quæ item superficiem, et